

Q.N. 244. 7.

Zb  
3476

2045084

RECTOR  
ACADEMIÆ LIPSIENSIS  
AD  
SOLENNI FUNEBRE  
VIRO PLURIMUM REVERENDO, AMPLISSIMO  
& EXCELLENTISSIMO,  
DN. ANDREAE  
GLAUCHIO,  
SS. Theol. Licentiato dignissimo,  
& Archi Diacono ad D. Thomæ hactenus  
vigilantissimo,  
*Post horam III. copiosè ac prolixè  
persolvendum*  
PROCERES CIVESQVE  
ACADEMICOS,  
Honorem cuique suum præfatus,  
invitat.

*Laus Glauchii*

BIBLIOTHECA  
PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
HALLE  
(SAALE)







**V**anquam orthodoxos Theologos  
profiteantur se plurimi, non omnes tamen tri-  
buere id nominis sibi jure possunt, cum *opinio-*  
*nem* foveant *non rectam*, sed à media veræ do-  
ctrinæ semita quàm longissimè deerrantem; quælia  
Pontificiorum pariter ac Reformatorum dogmata non  
agnoscere non possumus. Orthodoxus aliàs, si Græcam  
spectes originem, est rectè opinans; quandoquidem  
*ὀρθός* rectum, *δόξα* opinionem denotat. Ad Religionem  
autèm si accommodetur id vocis, non alius est ortho-  
doxus, quàm qui rectas de DEO circumfert opiniones;  
quem significatum & passim tum in scriptis Patrum,  
tum in actis Conciliorum obtinuit. Observatum autem  
jam olim ab eruditioribus, per *δόξαν* non opinionem tan-  
tùm, sed & gloriam innui; quo sensu Orthodoxus vocan-  
dus is venit, qui rectæ est gloriæ, quiqve non de doctri-  
na tantùm recta, sed & de vita recta gloriari potest, vel,  
ut Isidorus Hispalensis, seculi VII. scriptor, Lib. VII.  
Orig. c. XIV. ferè loquitur, qui rectè credit & secun-  
dum fidem eam rectè vivit; quem & ipsum vocis hu-  
jusce sensum Alcuinus sec. VIII. in expositione Missæ,  
& Remigius Antifiodorensis in ejusdem argumenti tra-  
ctatu adhibuit. Et verò Apostolus ipse gloriationem bo-  
næ conscientia non obscure à Christianis *γνησίως* talibus  
exigit. *Gloria, inquit, nostra hæc est testimonium conscien-*  
*tia nostræ, quod in simplicitate cordis & sinceritate DEI, non*  
*in sapientia carnali, sed in gratia DEI conversati sumus in*  
*hoc mundo.* Hoc sensu Orthodoxi minimè omnium sunt,  
qui recta quidem dogmata exponunt in cathedra, sed  
vitam agunt distortam; quamvis id nominis præ aliis  
ven-



vendicare sibi modis omnibus allaborent. Et quid, ama-  
bo, rectitudo doctrinae sine vitae rectitudine? Praeclare  
olim Gregorius Theologus sic Latine redditus: *Non  
qui sermone sapit, is mihi sapit, nec qui linguam disertam &  
volubilem habet, mentem autem inconstantem & ineptam;  
sed magis, qui pauca de virtute disserit, multa autem factis o-  
stendit, & fidem verbis suis ipsa vita conciliat.* Sed nervosi-  
us Chrysostomus: *Moribus opus est, non dicendi facultate;  
vitae modestiam non oris vehementiam, factis non verbis.* Qui-  
bus & Lutherus succinens: *Ego hoc, inquit, video, non  
esse Theologum, qui magna sciat, & multa doceat, sed qui  
sanctè ac Theologicè vivat.* Polycletum igitur imitari de-  
bent Theologi, artem suam & in libro & in opere tra-  
dentem, quiqve CANONEM appellavit & librum & sta-  
tuam, ne praecipere aliis quid videretur, quod non ipse  
praestaret. Est enim, secundum Matthesii, candidissimi  
Theologi, versiculum:

*Regula virtutis pulcherrima Vita docentis.*

Cujusmodi Theologorum quamvis non uberrimus  
ubiqve sit proventus, inter illos tamen jure merito refe-  
rendus venit Vir plur. reverendus, amplissimus atqve  
excellentissimus Dn. ANDREAS GLAUCHIUS, SS.  
Theol. Licentiatus dignissimus & Archidiaconus ad D.  
Thomæ longè meritisimus. Nam in hoc Viro doctrina  
& vita harmonicè veluti concinebant, nec quicquam  
ab eo inculcabatur in cathedra, quod non facto ipsemet  
atqve opere expressum iverit. Sed fuit eheu! fuit Theo-  
logus hic Orthodoxus, & quò maturius atqve inopina-  
tius huic Ecclesiae valedixit, hoc grandius graviusqve  
apud auditores omnes reliquit desiderium. Nos optimo  
Viro monumentum aliquod posituri vitam Ejus tantum-  
modò enarrabimus, vel sic speculum reliquis Theolo-  
gis exhibitori, in quo pulcherrimam doctrinae, vitaeqve



conformitatem licebit perspicere. Natus est Lipsiæ d. XVII. Aprilis Anno ær. Chr. M. DC. XXXVII. Patre integerrimo PETRO GLAUCHIO, Cive Lipsiensi, & matre honestæ notæ ANNA BACHIA, adeptusque indolem imbibendis literis non incapacem, Scholæ tempestivè fuit mancipatus, ex eo potissimum tempore, quo libros quinquaginta à sponse suo lustrali M. ANDREA FUCHSIO, SS. Theol. Baccalaureo, per ultimas testamenti tabulas sibi delegatos acceperat. Sed vacillare oppidò fortuna ejus videbatur, cum anno LI, mater, ac paulò post pater quoque his terris evocaretur. Neque enim consanguineorum ullus præstò erat, qui succedaneas parentum partes obire potuisset. Verùm non reliquit ipsum orphanum supremus Pater; quippe qui Virum maximè reverendum atque excellentissimum Dn. ABRAHAMUM TELLERUM, SS. Theol. tum Licentiatum & Archidiaconum ad D. Nicolai, Doctorem deinceps Theologum, Pastorem Thomanum, & Consistorii Electoralis ac Ducalis Assessorem excitavit per motum suam virgulam, ut tanquam filium & diligeret GLAUCHIUM, & in suos quoque lares reciperet, famulatioque ejus per septennium uteretur. Glauchius verò tam propitium Herum nactus non fideles tantum illi præstitit operas, sed & diligentiam in studiis semel cœptis incredibilem adhibuit, jam clarissimis Scholæ Thomanae Magistris adhærens, CRAMERO, RAPPOLTO & HORLEMANNO, jam Pædevterii Nicolaitani Doctores, HORNSCHUCHIO, THOMASIO, BACKHUSIO, & cui plurima se debere semper fassus est, M. JOH. SIGISMUNDO SCHWENCKIO, Professore deinceps Publico, & tandem Pastori Luneburgico, horumque ductu eò usque in Philosophico studio est progressus, ut Baccalaureis suo adscribi merito Ao. LVI. potuerit. Eodem tem-



tempore ad maturitatem quendam perduxerat Schola-  
stica studia ROMANUS TELLERUS, magni Paren-  
tis filius, quem nunc temporis Jctum non è multis, &  
Scabinum Electoralem consultissimum gravissimumq;  
hæc Lipsia veneratur. Huic igitur GLAUCHIUM ad-  
junxit Pater, inq; Academiã Wittebergensem amandavit,  
non abs re persuasus, fore, ut Filius fervidã contuberna-  
lis hujus diligentia & ipse ad studia fervidiùs tractanda  
incenderetur. *Alit* enim, ut Vellejus Paterculus ait, *emu-  
latio ingenia*. Wittebergæ degens amorẽ D. ANDREÆ  
KUNADI, insignis Theologi, & CASPARIS ZIEGLE-  
RI, Jcti incomparabilis (his enim potissimum cum  
TELLERO suo commendatus erat) nec non reliquo-  
rum Professorum, WENDLERI maxime, BUCHNE-  
RI, SPERLINGII & ÆGIDII STRAUCHII ex Philo-  
sophis, ex Theologis verò CALOVII & MEISNERI  
præter KUNADUM jam dictum, facile provocavit. His  
enim se dabat totum, ita tamen, ut Scholas M. MARTI-  
NI LIPENII Metaphysicas acroasibus illorum adjun-  
geret. Redditus post annum Lipsiæ suæ (neq; enim ege-  
stas valetudoq; infirmior commorari illum diutiùs Wit-  
tebergæ permittebant) Deum veluti Tutelarem repe-  
rit D. TELLERUM. Ab hoc enim susceptus est de-  
nuò, ab hoc innutritus, ab hoc stipendio etiam summi  
quondam Theologi HEINRICI HOEPFNERI non  
exiguo fuit maectatus; cumq;ve THOMASIO, KHU-  
NIO, SCHWENCKIO & REISLANDO diligentem  
in Philosophicis navasset operam, deq;ve *Syllogismo Ana-  
lytico* respondisset publicè, etiam summam Philosophiæ  
lauream Anno LIX., plaudentibus Musis, reportavit.  
Verum & hæc felicitas amaritie quadam fuit conturba-  
ta. Fatis enim circa hæc tempora cesfit, quem benevo-  
lentissimum à nono usque anno patrem expertus erat,



quemque ulteriolem fortunæ suæ statorem sibi promiserat, D. TELLERUS. Quamquam ne sic quidem Deo suo fretus, avocari se à laudatissimo instituto suo patiebatur; quin in publico conspiciendum se dabat, jam de *πολυφιλία, de victu Johannis Baptistæ, de Corona Christi spinea & via lactea* disputans, mox suaviter ex suggestu declamitans, & parentatione solenni gratisimam animi mentem erga TELLERUM, Theologum quondam sincerissimum sui que amantissimum, declarans. Sed nihil hæc videri possunt aut tenuia præ diligentia in studio Theologico navata. Hujus enim amore flagrabat totus, nec alios in eo sequebatur duces, nisi edecumatos & exquisitos, SCHWENCKIUM in primis, cujus doctissimis quotidiè discursibus pascebatur, KROMAIERUM, sub quo & publicè de *Justificatione* disputavit, & GEIERUM, Professore id temporis Theologum, & Superintendentem Lipsiensem, Nathanem postea Electoralem Saxonicum; cujus ab ore, sive verba ad plebem faceret, sive in cathedra Academica doceret, pependit indivulsus. Nec sua tam contumacem diligentiam non consecuta sunt præmia. Nam & primam in Theologia lauream Anno LXIII. decernebat, cumque alios docentes audivisset alias, nunc ipse in Collegiis Theologicis non minus, quam antehac in Philosophicis, facem aliis prælucebat. Triennio postmodum elapso, vocante eum Reverendissimo, Celsissimoque Principe ac Domino, CHRISTIANO, Episcopatus Martisburgici postulato Administratore, Domino nostro Clementissimo, Ephoriam Bitterfeldensem est adeptus, ac Principe Theologorum Orthodoxorum CALOVIO mox inauguratus; cumque hanc Spartam probè aliquantisper adornasset, post exantlatum ritè examen, habitamque de *Adventu Messie contra Judæos* disputationem Licentiam quoque



quoque Theologicam Anno LXIIX. retulit. Nec præ-  
miorum hic finis. Hoc ipso enim anno ad nutum Sere-  
nissimi Administratoris noster GLAUCHIUS Pastor  
Seniorque Ecclesiæ Martisburgicæ, quæ ad D. Maximi  
est, fuit vocatus constitutusque, cui & Assessura Episco-  
pali Consistorii Anno LXXI. accessit. Sed quis no-  
strum nescit Ecclesiastam hunc suavissimum à Proceri-  
bus Patriæ hujusce suæ amplissimis anno LXXIIX. ad  
Thomanum Archidiaconatum Martisburgo fuisse evo-  
catum? Nimirum latitare haud potest virtus, quin flam-  
mæ instar emicat erumpitque, & procul etiam habitan-  
tes in admirationem sui rapit. Tria autem in primis com-  
mendabilem reddebant GLAUCHIUM; solida videlicet  
eruditio, quam cum speciminibus aliis, tum duobus po-  
tissimum scriptis, altero *de verbo otioso*, altero *de usu Con-*  
*cordantiarum*, cujus novam eamque auctiorem editio-  
nem meditabatur, conspiciendam orbi erudito propi-  
navit; Donum deinceps concionandi planè lacteum, &  
summa cum modestia ac placiditate conjunctum. (Ne-  
que enim in suggestu vel loco sancto *πρὸ τοῦ ἱεροῦ & ἱεραρχο-*  
*υπαλίου*, ut cum Piccarto loquamur, affectabat, sed melle-  
um GEIERI sui os præ se ferebat, & leniter quasi deplu-  
ente, non fulminante Svadâ animos audientium mirum  
quantum effascinabat.) Ac denique vitæ innocentia &  
singularis quædam animi modestia ac de lenificâ morum  
suavitas, quæ vel morosissimos Catones suavissimos  
reddere sibi poterat. Quæ virtutes cum apud exteros  
quoque inclaruissent, à Senatu non ita pridem Thoru-  
nienti ad Senioratum Ministerii & Professionem Gym-  
nasii Theologicam obeundam humanissime fuit invita-  
tus; sed quæ tamen munera, ut Patriæ suæ prouderet ul-  
terius, modestè fuit deprecatus. Quod vitam GLAU-  
CHII excellentissimi socialem attinet, duxit in matri-  
mo-



Z6 3476 QK

monium Virginem pudicissimam, MARIAM MAGDALENAM, SEBALDI KRUMBHOLZII, Civis Aurifabriqve apud Lipsienses optimi filiam, perqve quindecim ei annos concordissimè advivens quatuor ex ea filios filiamqve unam suscepit, ROMANUM ANDREAM videlicet, ANNAM REBECCAM, JOHANNEM-VALENTINUM, JOH. ANDREAM & JOH. CHRISTIANUM; è quibus tamen non nisi ANNA REBECCA & JOH. ANDREAS adhuc superant, quibus incrementum suum, quo indigent, Viduarum Orphanorumqve Patronus Opt. max. velit addere. Deceterò uti tenuissimâ à teneris usqve ungviculis valetudine erat GLAUCHIUS: ita à malo tandem hypochondriaco mirificè fuit vexatus, Sed d. XXIV. Jun. langvorem insubitum persentiebat, & anorexiam planè inusitatam. Usus igitur mox fuit analepticis & stomachicis, quorum opitulatu & exire domo Calendis Julii, & publico vacare officio ipsi licuit. Verùm vix domum reversus horrore correptus est denuò, & calore vires nimium quantum depascente. Vocatus eqvidem ad partes Medicus non unus, nec parum alexipharmacorum optimorum est adhibitum; sed neqvicquam profusus. Instabat enim hora fatalis, quâ à Theologia Viatorum ad Theologiam Comprehensorum, vel Apprehensorum potius erat abeundum. Quam cum facilè prævidere posset Vir sanctissimus, tot anteambulationibus ammonitus, Theologum practicum uti in vita omni, ita in mortis quoq; collimitio se exhibebat; quin errores omnes coram Confessario suo humillimè devotissimèqve confessus, animam Cœnæ Dominicæ participatu expiabat, cumqve vivificis scripturæ sacræ medicamentis sese probè instruxisset, placidissimo tandem d. XI. Julii solutus obitu ex hac vita discedebat. Infelix verò D. Thomæ Templum, quod post KETTNERUM, Chrysologum alterum, etiam GLAUCHIUM, Chrysostomum alterum desiderat! Sed nolumus scævi aut sinistri quid nunc augurari. Rogamus potius Procures Civesq; Academicos perhumaniter, ut, quando hodiè ad horam III. funus instituetur, habitaqve Concione reliquæ Glauchianæ humo mandabuntur, supremos hosce honores frequentissimi celebratum eant. Deum autem Opt. max. veneramur, ut reliquos nobis verbi divini ministros fospitet, & quicquid malorum imminere nobis videtur, quam clementismè ab hac Philuræa vix sibi redditâ averruncet. P. P. Lipsiæ d. XIII. Jul. Anno ær. Chr. M. DC. LXXXI.

Lipsiæ, Literis CHRISTIANI SCHOLVINI.

1077

M.C.





OK. 244. 7.

# REC ACADEMIA

SOLENN  
VIRO PLURIMUM RE  
& EXCELI

DN. AN  
GLAU

SS. Theol. Licen



& Archi Diacono a

vigila  
*Post horam II*  
*persola*

## PROCERE

ACAD

Honorem cuiq



24

